

Q. K. 148, 13.

(X2044368)

π, 809

*de Jacobo Boehmio Fanatico
ejusq; affectis*

Za
2902

**RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS**

Ad audiendam

Pentecostalem in Templo Academico

ORATIONEM,

**Utriusque Reip. Proceres Civesq;
Academicos**

Decenter invitat.





Inter alias Ecclesiæ calamitates, quæ sub auspiciis hujus seculi natæ, incrementa post sumpserunt, nec adhuc dum finitæ sunt aut imminutæ, eminet omninò Fanaticismus Böhmius, monstrosus Lusatia superioris foetus, Nobiliumque nonnullorum in vicina Silesia, imò & Exterorum, quod mireris, non paucorum delirium. Postquam enim, ultra crepidam Parens ejus, Sutor Gorlicensis, JACOBUS BÖHMIUS sapere, ac in Chemica primum, mox & sacra mysteria illotis manibus irruere ausus fuisset; tam voce quàm scriptis publicis ab A. 1612, turbas in Religione suscitare, fovere, promovere non erubuit; exactus quidem aliquando urbe non sine tripudio zelosissimi Antagonistæ sui, B. Gregorii Richtarii, Ministri Ecclesiæ illius Primarii, adeò, ut in suo quasi exultans *προπετυνῶ* acclamaret abeunti (a):

Gorlicium tandem Te, Sutor, pellit ab urbe,

Et jubet ire illuc, quò Tua scripta valent,

Iproperè; i procul hinc blasphemum os atque scelestum;

Qualia Te maneant, experiare miser.

Et in fine :

Ergò abeas, nunquam redeas, pereas malè, sutor;

Calceus in manibus sit Tibi, non calamus.

Rediit

(a) Opp. Böhm, part. penult. in Apologia ejus p. 331. seq.

Rediit tamen (b) paulò post, nescio cujus gratia aut fraude; ibique mortuus est A. 1624. publiceque sepultus. Utinam vero ex illo tempore lues illa desævissset, aut cum Autore suo in pulverem redacta fuisset! Atenimverò ultima conveniunt primis, & seculum, cum in præcipiti est, in eodem hæret luto, plenaque sunt Böhmistarum similibusque fanaticorum omnia. Adeò verum est, quod sapientissimi pridem Medici observarunt, simulá vitio primæ concoctionis pendere scabiem, simul extrema eam occupare, primaque & ima prorsus non differre. Tantæ verò cum *Böhmi* fuerint ineptiæ, quantæ solent esse, cum sunt maximæ; non defuere tamen, qui vertere illas in oracula tentarunt, sanè pro talibus venditarunt. Sint enim, inqvunt hi, vocabula inusitata, quibus subinde utitur; eadem tamen cum Ecclesia Catholica semper sensit; animo, si non calamo semper eadem complexus fuit. Quid? quod ex eorum videatur esse numero, qui veritatem Christianæ Religionis inter errores gentilium quærere ac invenire valuerint, haustis è Platone non paucis, imprimis, quæ ad mysterium SS. Trinitatis spectant, interque arcana fidei nostræ jure meritoque referuntur. Fatendum autem est omnino, antiquum hoc esse *σόφισμα*, quo vana & profana Ethnicorum scripta flectuntur in æquiores sensum, & nescio quæ mysteria fidei comprehendere dicuntur. Artifex hujus generis ipse fuit *Constantinus M.* proh! quantus Imperator, nec minor Christianus, qui & (c) Acrostichidem Sibyllæ Erythrææ de J. C. Dei Filio &c.

)(2 &

(b) Vid. part. 1. Opp. im Lebens-Lauff *** 7. seqq. (c) In Orat. ad Sanctorum cæt. cap. 18. seqq.

& Virgilio Eclogam IV. (d) inter externa de divinitate ejus testimonia recensuit & contra dissentientes defendit. Quid? quod è Doctoribus Ecclesiæ (e) *Justinus*, (f) *Hieronymus*, (g) *Augustinus*, (h) *Gregorius Nazianzenus*, alii idem tradiderint, non observantes fraudem, quâ illa Sibyllarum carmina conficta suppositaque fuerunt à Christianis, circa tempora Imperatoris Hadriani; haud incerta doctissimorum (i) hominum conjecturâ. E junioribus *Morneus* imprimis atque *Grotius* (k) eodem purpurisso usi sunt ad inducendum Christianismo colorem è fabulis gentilium, magnâ quidem eruditionis ac ingenii ostentatione, sed absque applausu eorum, qui norunt,

Quid distent æra Lupinis.

Verum enim est, quod hic Lipsiæ aliquando inter docendum publicè dicebat *B. Hülfemannus*: Talia scripta non tam juvare quàm evertere Christianismum, propter ficulneas aut stramineas, quibus nituntur, rationes. Difficile verò cum sit, hac via veritati Religionis Christianæ suppetias ferre; *Böhmius* hinc multo minus subsidii sperare poterit aut causæ suæ polliceri. Quantum enim differt Academia à Sutrina, tantum distat Plato à Böhmio; nec hic legere illum aut intelligere potuit. Nisi verò, quasi per traditionem, accepit aliquid per *Rupertum* & *Koberum*, Medicos, nec non *Waltherum* circumforaneum, quibuscum familiariter conversatus fuit; quamquam

(d) cui nomen *Pollio*: *Sicelides Muse* &c. (e) In orat. parenet. ad *Grac.* (f) *Lib. I. contra Jovinian.* (g) *De civit. Dei L. 18. cap. 23. & de Eclog. Virgil. in Epist. 155.* (h) *In carm. ad Nemes.* (i) *Vid. Vales. in Annotat. in Euseb. p. 265. aliosque* (k) *Utterque in Lib. de verit. Relig. Christ.*

quam & his Magistris lallare magis suam *Caba-*
lam, & limbum, & turbam, & tinduram (elegantias ni-
 mirum suas,) & quidvis potius quàm Theologiam
 jactare, ac vix ultra Paracelsi ætatem ac doctrinam,
 quæ quidem superius seculum infamavit, assurgere
 altiusque prospicere didicit. Quidquid tamen hujus
 sit; hauserit errores suos *Böhmius*, unde voluerit,
 unde valuerit, nocentes tamen illi oppido sunt quàm
 qui nocentissimi; pestilentes, quàm qui pestilentis-
 simi. Graviter ac verè recentissimus omnium Scriptor,
 Frater Noster in C. J. Conjunctissimus, summè Rev.
Dn. D. Veiel, imprimis de heterodoxia ejus in Articula
 de SS. Trinitate (1): Was die alte Kirchen-Lehrer/Ire-
 næus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoritus &c.
 von den allergreulichsten Ketzern hinterlassen/ ist alles
 nur Kinder=Berck/ gegen den Böhmischen Quinten.
 Ich hätte zu weilen bald in einen Zweifel gezogen/ ob
 auch die alten Väter die Meinung der Gnosticorum
 gründlich genug verkundschaftet? wer aber Böhmens
 Sätze von Gott liest/ der wird bekennen müssen/ daß
 diese Rotten=Geister dergleichen ungereimte Sachen
 freylich wohl mögen gelehret und behauptet haben.
 Noch ärgere Grumpen bringt er vor von Christo/ da
 z. E. in dem Nahmen Iesus die Sylbe IE seine Er-
 niedrigung/ und die Sylbe LIS der Seelen Einfüh-
 rung über die Himmel bedeuten muß &c. Eben so ent-
 setzliche Reden liest man auch von dem H. Geist/ als
 aus dessen Erleuchtung Both die Blut-Schande began-
 gen. Das erschrecklichste aber ist/ daß Böhmisch zube-
 haupten nicht entblödet/ daß der Teuffel ein grosses Theil
 der

(1) In prefatione, præmissâ R. M. Frickei gründlicher Untersuchung
 Jac. Böhmens vornehmster Irrthümer.

der Gottheit nach des Vaters Natur sey. Ich entfesse
 mich / dergleichen nur nach- und abzuschreiben / und
 möchte doch wissen / ob nicht ein jedes Christen-
 Hertz ob solchen und solcherley Reden mit höchster Bestür-
 zung erschrecken / und sich auff's äußerste befrembden
 sollte / daß Gelehrte / und wie Sie dafür wollen ange-
 sehen seyn / fromme Leute dieses alles ohne Anstoß le-
 sen / für genehm halten / und den Böhmen / als einen
 hocheleuchteten Mann Gottes rühmen und veneriren /
 oder wenigstens dafür halten / man sollte nicht unglim-
 pflich von ihm und seinen Phrasibus reden oder urthei-
 len. Quæ cum legeremus haud ita pridem, facile
 in memoriam nobis revocavimus versiculos, plenos
 zeli ac pietatis, nec ineruditos, laudati supra B. Gre-
 gorii Richteri, quos quidem jam (m) impressos, e-
 mendatiores tamen è MSto, deletis calami aut ty-
 pi vitiis, luci publicæ non invidemus. Sic autem Poë-
 ta, an Propheta? ille Gorlicensis:
 Quot continentur lineæ; blasphemiæ
 Tot continentur in libro Sutorio;
 Qui nil nisi picem redolet sutoriam,
 Atrum & colorem, quem vocant sutorium.
 Gravissima pena locis his imminent, (n)
 Impunè ubi feruntur hæ blasphemiæ;
 Impunè ubi feruntur hæ blasphemiæ;
 Impunè ubi creduntur hæ blasphemiæ:
 Impunè, ubi quicquid lubet, fas fingere,
 Impunè, ubi quicquid libet, fas scribere;
 Impunè, ubi quicquid lubet, fas spargere:
 Impunè, ubi quicquid lubet, fas credere.
 Nam vindicabit gloriam suam Deus Mi-

(m) in Apolog. contra Greg. Richt. Opp. part. penult. p. 326. seqq. (n) Hi
 duo versiculi absunt in Apolog. p. 327.

Miraculosè; æternitatem nec sibi
 Suam eripi patietur à fanaticis
 Sutoribus, cerdonibus, Sartoribus.
 Tam pestilens non virus Arrii fuit,
 Æternitatem qui negavit Filii,
 Quam pestilens est virus hoc sutorium,
 Æternitatem quod Patri æterno eripit,
 Quaternitatem & ore blasphemus astruit.
Eius (o) orbis Arrii ob virus luit
 Poenas adhuc caligine Mahometicâ
 Oppressus: & nos quæ manebunt cœlitus
 Pœnæ? nisi severitate debitâ
 Pestem procul hanc à Patria fugabimus,
 Radicitusque & funditus extirpabimus.

Fuget verò hanc, qui solus potest facillimè, à fini-
 bus nostris imò ab orbe Christiano toto Deus ipse,
 radicitusq; & funditus eam ubiq; extirpet; ut impurus
 Spiritus locum apud nos ne inveniat, *Spiritus autem*
Dei habitet (p) *in vobis.* Nam si quis Spiritum Christi non
 habet, hic non est eius. Vos itaq; O mei (ita Apostolus
 ad Romanos olim, (q) ita ad Vos ego hodiè) quia
 carnis depravationem deposuistis per regenerationis benefi-
 cium, date queso operam, ut reipsa appareat, Spiritum
 Dei suum in vobis habere domicilium. Nam ubi Spiritus
 Christi non est efficax, ibi neq; Christus, nec in Christum insi-
 tio est. Quapropter, O Vos Mei, date operam, ut quantum
 in vobis est, carnalibus vestris desideriis valedicatis. Et hoc vos
 omnino decet, qui regenerationis beneficio filii Dei facti estis.
 In hoc enim accepistis Spiritum S. tanquam arrham adoptio-
 nis illius, qui & testimonium dat conscientie vestre, quod Deo
 sitis

(o) In Apolog. p. 328. legitur: totus. (p) Rom. VIII. 9. (q) B. Bal-
 duinus in Paraphrasi hujus loci.

fitis' gratissimi Filii,, neq; saltem filii, sed & haeredes aeter-
nae beatitudinis & cohaeredes Christi, qui vos in communio-
nem istius felicissima hereditatis adsumpsit. Constat id
magis magisque ex argumento illustri, quod de Spiritu
S. sub imagine Columbae breviter pertractandum & ad per-
orandum hodie sibi sumpsit Ornatiss. Juvenis, *Valenti-*
nus Alberti, SS. Theol. Studiosus, Parentis *ὁμωνύμης*,
Facult. Theol. hodie ProDecani, Collegae Nostri a-
mantissimi Filius è tribus natu minimus; quem ut
Vos, Com. Illustriss. Vosq; Proceres utriusque Reip.
Amplissimi, nec non Vos, Studiosi Nobilissimi, in
Templo Paulino post XII. ad breve temporis spatium
benevole audire, ac constantiam affectus Vestri Pa-
renti non minus quam Filio publicè contestari, Deo
verò ipsi pietatem vestram approbare velitis, maxi-
mopere rogamus. B. V. P.P. ipso Festo Pentecost,
23. Maji A. 1697.

Typis JOHANNIS GEORGI.

Ha 2902 QK

kon



Q. K. 148, 13.

*de Jacobo
ejusq*

REC ACADEMIÆ

Ad audie


Pentecostalem in Te

ORATIO

Utriusque Reip. P

Academ

Decenter i



17,809

